



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Daniel Proph. 21. Iulii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

mum vertit DEVS. Iterum ergo triumphanti columba illa divina palam coronam imposuit. Invidit Olybrius, & caput laureatum gladio abstulit. Sed imprudens alteram coronam adjecit.
Ex Surio & Lippelo.

S. DANIEL PROPH. 21. Iulii.

Agite Mariani, si virtutis ardua, si refusa aqua piget calcare, ecce ille magnorum regum vates, ille leonum & adeo Deorum domitor per pomaria illuc vos ducet. vos modo ne oculos otiosos afferte, sed obambulando ipsum pudicitiae florem Susannam spectate. Anne videtis, uti nec formae decor, nec locus solus, nec blanditiae minae hunc possint decerpere? nempe sola non fuit, quae secum in oculis ubique Numen circumtulit. Certè hoc suis in oculis Susannam tulit. Etenim, agite modo capita scelestae, eja populum in vestram perniciem cogite, accusate innocentiam damnandi à puero senes. Et, quid tu ais? scelus. ubi facinus patratum? sub *schino*. euge! & tu Orci silicernium, ubi? sub *pruno*. papae! neque mentiri scite didicistis. Io! Innocentia triumphas. nunquam patrono cares. At vos capulares Veneris Columbos jam lapidantium manus palpabunt. quid saxa, quid moras trahitis? obruite eja improbas Cupidinis victimas. Epitaphium ego dabo. SVB SAXIS AMOR. HIS IACET SEPULTVS. *Ex Dan. ipso.*